

Wenczeslai, quatuor doctorum ss. Jeronimi Augustini Gregorii et Ambrosii ac etiam s. Elisabeth et decem millia martyrum in ecclesia parochiali Pirna situm fundatum et consecratum incorporati et appropriati, prout in litteris et privilegiis praefati principis et domini atque instrumentis et registris desuper confectis plenius continetur, pro parte supradicti Conradi Richard pro suae suorumque progenitorum heredum ac successorum salute animarum et remedio peccatorum — in dotem et proprietatem dicti altaris cum quadam domo libera et ab omni iure ac onere civitatis exempta inter domos dicti Hanczsch et terminarii ibidem ex opposito ecclesiae sita a quodam dicto Wießhaupt et filio suo pro usu et domicilio altaristae dicti altaris comparata, pro cuius etiam exemptione et exoneratione media sexagena grossorum bohemicorum annuorum reddituum pro restauro civitati et consulatui ibidem dicitur esse facta, per providum Johannem Richard opidanum Pirnensem filium naturalem praetacti Conradi iuxta ipsius Conradi patris sui bonae memoriae ultimae voluntatis vota sunt oblata cum supplicatione humillima et devota, quatenus huiusmodi oblationem censuum praedictorum cum domo superius designata paterno affectu suscipere censusque et redditus supradictos in summa decem sexagenarum ecclesiasticis bonis annumerare atque ipsos in dotem et proprietatem praedicto altari incorporare et altare cum dote et proprietate suis in beneficium ecclesiasticum creare instaurare et confirmare auctoritate nostra ordinaria gratiosius dignaremur. Nos igitur Rudolffus episcopus — supplicationibus praedictis favorabiliter inclinati praefatam oblationem censuum et reddituum — atque domus — nobis factam — acceptavimus — eosdemque census et redditus cum domo ad praefatum altare et in dotem et proprietatem eiusdem appropriantes et incorporantes bonis ecclesiasticis annumeramus et altare praefatum in beneficium ecclesiasticum auctoritate nostra ordinaria et diocesana erigimus etc. Idem quoque altarista et qui pro tempore fuerit cessante impedimento septimanatim quatuor missas, dominicis scilicet et festivis diebus, tertiis et quintis feriis necnon sabbatinis diebus infra summam missam aut alias absque praeiudicio plebani ibidem tenebitur celebrare et pro restauro plebano antedicto annuatim triginta grossos bohemicos, quindecim videlicet Walpurgis et quindecim grossos Michaelis, de censibus praetactis absque contradictione ministrare. Ius patronatus autem dicti altaris quotiens ipsum vacare contigerit iuxta tenorem supradicti illustris principis litterarum filiis et heredibus supradicti Conradi perpetuis futurisque temporibus reservamus, praemissis omnibus et singulis auctoritatem nostram ordinariam interponentes et decretum. Nulli ergo omnino hominum etc. Si quis autem etc. Datum in castro nostro episcopali Stolpen anno domini millesimo quadringentesimo vicesimo secundo mensis Augusti die decima octava scilicet feria quarta proxima post octavas Assumptionis sanctae Mariae virginis nostro authentico appenso sub sigillo.

Nach dem Orig. im Rathsarchiv zu Pirna. Das an einem Pergamentstreifen befestigt gewesene Siegel ist abhanden gekommen.